



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium**

**Brusch, Kaspar**

**Nürnberg, 1682**

Mulbrunnum, Maulbrunn/ ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38166**

hoc currente adhuc Jubilæo, vir procerus, affabilis, hospitalis & munificus, diligensq; rerum sibi commendatarum curator.

**M**ULBRUNNUM, Maulbrunn/monasterium Cisterciensis ordinis magnificum ac præpotens, in Ducatu Wirtenbergensi, pene medio itinere inter Phorzenheimium Marchionum Badensium & Brettam Palatinorū civitates in maxime fertili solo situm, & à proximo fonte sic nominatū, fundatum est 18. Kalend. Aprilis, anno Christi 1138. à Reverendissimo in Christo patre ac Domino, Domino Gunthero, Comite Liningensi & Episcopo Spirensi. Contulit vero ad ejusdem cœnobii exædificationem & foundationem nonnihil etiam nobilis vir, Dominus Waltherus de Lammersheim, prædium videlicet Eckhenwier, in quo coeptum est initio cœnobium fundari, sed ob loci angustiam a quarumq; defectum alibi postea inchoatum & constructum. Ille nobilis Baro Waltherus relicto seculo & habitu monastico assumpto mansit in monasterio, sub obedientia vivens ad dies vitæ suæ: sepultus in medio Ecclesiæ, choro videlicet Conventorum. Guntherus autem, Spirensis Episcopus, verum fidumq; se fundatorem & patronum exhibuit. Consentiente enim capitulo majoris Ecclesiæ Spirensis villas & curtes monasterio donavit, auxilium & consilium præstans, ut novella plantatio ad Dei servitium dietim posset adolefcere. Et ille idem Reverendissimus Præsul, sicut in vita dilexit & fovit monasterium, ita post mortem etiam voluit in eo sepeliri. Sepultus est vero in choro Basilicæ Mulbrunnensis, cujus epitaphion lapidi incisum tale est:

Walt-  
rum à  
Lammers-  
heim.  
Eckhenwier.

Gun-  
therus, Epi-  
scopus.

*Præsul Guntherus, pater est fundamini hujus.*

Anniversarius ejus dies singulis annis ab Abbate & Conventu solenniter celebratur 17. Kal. Septembr. Ad latus ejus, etiam in choro sepultus est Reverendissimus D. Ulricus, Episcopus Spirensis, cum tali epitaphio:

*Ulricus positus Spirensis Episcopus hic est.*

Integrum ejus loci Abbatum catalogum hætenus habere non potui, præcipuos tamen aliquos, quorum nomina ad meam notitiam pervenerunt, omittendos nequaquam duxi, quos pro-

xiiii

ximis Augustanis Comitibus mihi ejusdem loci Abbas, qui nunc rerum potitur, cum multa suæ erga hoc opus meum benevolentia significatione, benigniter communicavit.

1. *Dietherus*, primus Abbas Mulbrunnensis, assumtus est cum primo Conventu de Novi Castri prope Haganoam sito monasterio. Sub ejus gubernatione dedicavit Basilicam Mulbrunnensem *Arnoldus*, Archiepiscopus Treverensis, tunc temporis Legatus Pontificius. Hujus dedicationis festum celebratur pridie Nonarum Maij. Post hunc Abbatem magnus hiatus est; multi enim desiderantur.

2. *Albertus de Otesheim*, villa monasterii & monasterio proxima natus, Magister gymnasii Pragensis, vir boni testimonii & de cœnobio hoc optime meritis, qui Ecclesiam ampliavit & decoravit, ut testatur elogion, in ejus honorem ac memoriam sempiternam parieti templi inscriptum.

3. *Hemicus de Reningen*, à villa Ducatus Wirtembergensis sic cognominatus, vere pater & Abbas, multa construxit, sacellum videlicet portæ, domum Abbatialem, domum pro cœonomo, quem vulgato nomine Burfarium vocant, ad utilitatem & decorem domus Dei multa emens.

4. *Joannes de Geilenhausen*, ex Chartusiano Prior factus in Stams, Cisterciensis ordinis monasterio, tandem Abbatis dignitatem consequutus in Mulbrunn, Concilii Basiliensis Ambasciator ad Bohemos delegatus est. Is construxit valetudinarium Mulbrunnense seu infirmariam. Resignavit tandem, volens liber ex hoc seculo migrare ad Superos.

5. *Bertholdus de Rossvagen*, à villa monasterii & monasterio proxima (ex qua ortum duxerat) nominatus, legitur sub sua gubernatione centum habuisse monachos professos. Sub hoc ipso Abbate monasterium de Paris, in pede montis Vogesi situm, ex negligentia & oscitantia Abbatum ac nobilium quorundam monachorum collapsum ac ferè ad solum & ad extremam inopiam deductum, monasterio Mulbrunnenfi per Pont. Max. Pium II. incorporatur & suppressa Abbatiali dignitate in Prioratum constituitur. Quandoquidem anno Domini 1453. omnibus bonis

vel impignoratis vel alioqui misere distractis & in manibus creditorum detentis, in univ[er]sum perierat: mandavit igitur Pontifex, ut per hunc Abbatem ad ordinis observantiam revocaretur: qui missis illuc fratribus de Mulbrunn ordinem restituit, impignorata redemit, debita (quorum magnus erat numerus) solvit: ita ut hodie etiam, licet toties combustum, tamen adhuc personas habeat regulares. Hic Bertholdus Abbas, correptus infirmitate, qua etiam defunctus est, sumpturus salutare viaticum, quod per manus Cantoris comitante Conventu deferebatur, surrexit de grabato, albaq; cuculla indutus, qua in summis festivitibus, ordinis more, vestiri consueverat, devotus & illachrymans, manibus fratrum suffultus, processit Salvatori obviam, quo adorato & devote sumto, dimissus est in pace. Sepultus in ambitu è regione altaris Sancti Pauli.

*Brumbach Cœnobium prope Wertheim.*

6. *Ulricus de Esingen*, pago prope Nurtینگense oppidum sito oriundus, cum aliquamdiu præfuisset Mulbrunnensi Abbatia, ac resignasset, paulo post, rebus ita exigentibus, ad petitionem Reverendissimi Archiepiscopi Moguntini, in Franciam Orientalem missus est, ut perituum illic sui ordinis suæq; visitationis monasterium Brumbacense restauraret. Assumptis igitur tribus fratribus de Conventu Mulbrunnensi, & acceptis duobus millibus florenis ab Abbate Mulbrunnensi Brumbacum adiit, ubi per decennium monasterio præfuit & profuit. Tandem auctore & pub. & familiari, solutis debitis, & aucto personarum etiam regularium numero, optime meritis de monasterio Brumbacensi ad Mulbrunn rediit, ubi senex requievit in Domino.

7. *Joannes de Rotwila* Ulrico resignanti subrogatus est, vir bonæ famæ & integritatis. Is monasterium muro cinxit & contra hostiles incursationes munivit primus.

8. *Joannes*, cognomento *Burrhus*, ex Brettenham Palatinatus oppido oriundus, præcipuus amator veræ pietatis, quod a fratribus exhiberi voluit, in se prius vivo expressit exemplo. Habuit centum etiam sub se monachos, quibus cum æquo rigidiore videretur, de abdicatione Abbatialis muneris tractatum est. Præsentibus vero jam convocatis, ut fieri solet, Abbatibus, cum, ut

acce-

acceptam prius dignitatem redderet, utrimq; ageretur octava Kalendarum Februarii anno Domini 1503. & ipse postero die esset Abbatiam resignaturus, orta est noctu horam circiter octavam in ipsa media hieme (cum ubiq; & glacie & densissimis nivibus terra esset obruta) horribilis tempestas, ita ut & tonitura audirentur, fulguraq; & coruscationes apparerent in tantum, ut non secus ac in media æstate, ad sedandam tempestatem omnibus campanis pulsaretur, admirantibus omnibus insperatam tempestatem & Deum enixe orantibus, ut vertere hæc insolita dignaretur in bonum omen. Postero die abdicavit se Abbas magistratu, cui tamen postea anno Domini 1516. restitutus, annis adhuc quinq; præsedit fideliter, quibus Bibliothecæ insigne ac artificiosum opus laudabiliter contruxit.

*Tempestas  
nocturna  
biemalis.*

9. *Ioannes de Lintzingen*, à villa monasterii & monasterio proxima (quæ natale ei solum fuit) sic dictus, successit anno Domini 1512. septima Kalendarum Maij. Fuit Theologiæ Baccalaureus in Heidelbergensi Gymnasio designatus, vir tanto honore ac officio non indignus; in hoc cæteris Abbatibus superior, quod ob monasterii immunitatem conservandam, res Deo dicatas nolens tradere prophano Principi, persecutionem passus, nec in Imperiali civitate tutus, ad Helucios abire sit coactus, ubi civis factus aliquamdiu apud fratres Eremitas cœnobii Einsidensis commoratus est. Obiit tandem 13. Kalendarum Augusti anno 1547. sepultus in majore Basilica prope sacellum Virginis matris ad latus dextrum. Huic in maxima rerum turbatione omnium consensu ac suffragiis subrogatus est in ipsis Idibus Septembribus anni 1547.

10. *D. Henricus Reitter*, ex Nordlingiaco, civitate Imperiali, natus, vir literis & virtute præstans, viginti annis ante Prioratus officio functus in monasterio Parisiano ad Vogesum sito: in hoc cæteris sui cœnobii Abbatibus infelicio, quod tot annis à Duce Wirtenbergensi, monasterio occupato & suppressa usitate prius religionis observantia, ob schisma in fide ortum pauloq; post inter Principes Civitatesq; Imperii ac Divum Carolum Imperatorem bellum cruentissimum, fratres ejus aliquot relicto

Tt 3

habitu

habitu monastico redierint ad seculum, cæteri vero in monasterio permanentes prohibiti sint secundum regulæ suæ præscriptum vivere. Rediens Mulbrunnum Abbas muros quidem invenit integros, mores vero corruptissimos, ad quos etiam redintegrandos & ea, quibus hætenus caruit, recuperanda totis accingitur viribus: nec enim parvi roboris, sed divini muneris esse agnoscit collapsa erigere, deviareducere, & clavam quasi de Herculis manu eripere. Præsides magnanimiter hoc adhuc currente Jubilæo, quo regni Comitibus, à Divo Carolo V. Imperatore Augusto, in Augustana urbe celebratis, interfuit. Sed hoc loco nec istud silentio prætereundum censui, quod ex hoc Mulbrunnensi monasterio olim primi & Abbates & Conventus assumi & exciti sunt ad extruenda & plantanda potentissima duo cœnobia in Ostrofrancis, Speciosam scilicet Vallem prope Meckhul, & Brunbacum prope Wertheimium sita. Et quandoquidem semper in Maulbrunnensi hoc cœnobio præcipue viguit regularis observantia ordinisq; institutio, ac personarum regularium multitudo, sæpe ex eo ad diversa hujus ordinis monasteria postulati & missi sunt Abbates, Marquardus videlicet ad monasterium Schonaw, prope Heidelbergam situm, ad petitionem Comitum Palatinorum Rheni: Dominus Conradus vero de Binigkhen cœconomus ad Otterburgensem Cisterciensis instituti Abbatiam gubernandam, quæ prope Keiferslautern civitatem Palatinatus sita est. Sic D. Gotfridus etiam cœconomus vel Burfarius, ad Imperatoris Friderici III. petitionem, Abbas monasterii novæ Civitatis in Austria, volentibus etiam Conventu & visitatore eius loci postulatus, assumtus & designatus est. Actantum quidem de Mulbrunnensi Abbatia: plura enim hætenus de ea quæ & potentissima est & amplissima expiscari non potui. Cætera si mihi etiam communicabuntur, alteri aliquando operis nostri monastici centuriæ (prodibunt enim, ut spero, plures) pari fide ac industria paratus inferam.

*Speciosa  
vallis Cœ-  
nobium.*

*Otterbur-  
gum Cœ-  
nobium.  
Keifers-  
lautern.  
Monaste-  
rium No-  
væ Civi-  
tatis in  
Austria.*

**M**URBACHIUM vel Mortwegium, à latrocinii infesta quondam loco, antiquitus vero peregrinorum Vivarium dictum.